Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35441
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

atque a peccato quod perpetravit purget. Cum vero mor-
tuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non
ponatur, sed quolibet fossam in sterquilinio facite,
in ea corpus eius proicite, ibique super eum tres au-
reos quos reliquit iactate, simul omnes clamantes:
pecunia tua tecum sit in perditione. Et sic eum terra
operite. In quibus utrisque verbis unum morienti, alterum
vero volui viventibus fratribus prodesse, ut et illum
amaritudo mortis culpa solubilem faceret, et
istos avaritie tanta dampnatio misceri in culpa pro-
hiberet. Quod ita factum est. Nam cum idem monachus
pervenisset ad mortem, atque anxie quereret se
fratribus commendare, nullusque e fratribus ei applicari
et loqui dignaretur, ei carnalis frater cur ab
omnibus esset abhominatus indicavit. Qui protinus
de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa
tristitia e corpore exivit. Qui ita est sepultus
ut dixeram. Sed fratres omnes eadem sententia perturbati
ceperunt singuli extrema quaeque et vilia et que
eis habere regulariter semper licuerat ad medium
proferre, vehementerque formidare ne quid apud se esset
unde reprehendi potuisset. Cum vero post mortem
eius triginta iam essent dies evoluti, cepit animus
meus defuncto fratri compati, eiusque cum dolore
gravi supplicia pensare, et si quod esset ereptionis
eius remedium querere. Tunc evocato ad me eodem
precioso monasterii mei preposito tristis dixi: Diu
est quod frater ille qui defunctus est in igne cruciatur;
debemus ei aliquid caritatis impendere, et eum in quantum
possumus ut eripiatur adiuvare. Vade itaque et
ab hodierna die diebus triginta continuis of-
ferre pro eo sacrificium stude, ut nullus omnino preter-
mittatur dies quo pro absolutione illius saluta-
ris hostia non immoletur. Qui protinus abscessit
et paruit. Nobis autem alia curantibus atque evo-
lutos dies non numerantibus, idem frater qui defunctus
fuerat nocte quadam fratri suo germano Copioso
per visum apparuit. Quem ille cum vidisset, inquisivit
dicens: Quid est, frater? quomodo es? Cui ille respondit:
Nunc usque male fui, sed iam modo bene sum, quia ho-
die communionem recepi. Quod idem Copiosus perges
protinus indicavit in monasterio fratribus. Fratres vero
sollicite computaverunt dies, et ipse dies extiterat
quo pro eo tricesima oblatio fuerat impleta. Cumque
et Copiosus nesciret quid pro eo fratres agerent, et
fratres ignorassent quod de illo Copiosus vidisset,
uno eodemque tempore dum cognoscit ille quid isti
egerant, atque isti cognoscunt ille quod viderat, con-
cordantes simul visione et sacrificio res aperte
claruit, quia frater qui defunctus fuerat per sa-
lutarem hostiam supplicium evasit. Petrus.
Mira sunt valde que audio et non medio-
criter leta. De Cassio episcopo qui cottidie deo salu-
tarem hostiam obtulit. Gregorius.
Nec nobis in dubium veniant verba mortuorum
confirmat, licet factum viventium. Narniensis urbis vir vite
venerabilis Cassius nomine episcopus, qui cottidianum deo
sacrificium offerre consueverat, seque in lacrimis inter
ipsa sacrificiorum arcana mactabat, mandatum
domini per famulum suum visionem presbiteri suscepit dicens:
Age quod agis, operare quod operaris; non cesset pes
tuus, non cesset manus tua; natali apostolorum venies
ad me, et retribuam tibi mercedem tuam. Qui post
annos septem ipso natalicio apostolorum die cum mis-
sarum sollempnia peregisset et misteria sacre communionis
accepisset, e corpore exivit. De eo qui captus
ab hostibus per oblationem salutaris hostie fuit
vinculis absolutus.

Hoc quoque audivimus, quendam apud hostes in captivita-
te positum et in vinculis religatum fuisse, pro quo
sua coniux diebus certis sacrificium offerre consueverat.
Qui longo post tempore ad coniugem reversus quibus
diebus eius vincula solverentur innotuit, eiusque
coniux illos fuisse dies quibus pro eo offerebat
sacrificium recognovit. Et ex alia nobis re que
ante annos septem gesta est contigisse confirmatur.
De Varaca nauta qui per oblationes hostie
salutaris fuit a naufragio liberatus. Agatho
etenim Panormitanus episcopus sic fideles viri
ac religiosi viri multi testati sunt atque testantur,
cum beate memorie decessoris mei tempore iussus
esset ut Romam veniret, vim nimie tempestatis
pertulit, ita ut se ex tanto undarum periculo
evadere posse diffideret. Nauta vero illius Vara-
ca nomine qui nunc eiusdem ecclesie clericatus officio
fungitur, post navem carabum regebat, rupto
fune cum eodem carabo quem regebat inter undarum
cumulos repente disparuit. Navis autem cui episcopus
preerat tanta post multa pericula ad Osticam insulam
fluctibus quassata pervenit. Cumque die tercia
episcopus nautam qui ab eo abreptus in carabo fuerat
in nulla maris parte videret apparere, vehementer
afflictus mortuum credidit. Sed per ostensum caritatis
bonum quod mortuo debebat inpendit, ut omni-
potenti deo pro absolutione eius anime offerre sacrificium
victime salutaris iuberet. Quo oblato re-
staurata navi perrexit ad Italiam. Cumque
ad Romanum portum pervenisset, ibi nautam reperit
quem mortuum putavit. Tunc inopinata exul-
tatione gavisus est, eumque qualiter tot